

§. XXIV.

Porism. IV. *Durante hac vita nullus est gratiae diuinae terminus, sed lapsis post Baptismum quibuscunque contingere semper potest remissio peccatorum.* Quod si enim sanguis hic ab omnibus expurgat peccatis, etiam peccata ea de hac emundatione participare possunt, quae iam tum elapso termino gratiae commissa a parte dissentientium perhibentur, secus enim limitationem incurreret praesens Apostoli oraculum, unde *Dn. D. Ioh. Olearius* in *Diss.* in hunc nostrum locum §. 19. inde infert, Sanguinem Christi homines etiam emundare a peccatis cum induratione coniunctis, non solum a peccato in Filium hominis, sed etiam a peccato in Spiritum Sanctum. *Iohannes* etiam utitur vocula *Nos*, cui et omnes fideles procul omni dubio post Baptismum lapsos voluit inclusos, iisque omnibus actuale peccatorum ablutionem, id est remissionem peccatorum pollicetur, fretus voce DEI *Ezech. XV III, 33. C. XXXIII, II.* ex quo *Sebastian. Schmidius* *Disp.* de poenitent. Impii §. 18. colligit: Nullum hominem viventem, sed Diabolum esse inconuertibilem. *conf.* §. 22. et 23. *B. Dannhauerus* *Lact. Catech. Part. VI. Conc. XXIV. DEUM* nolle mortem peccatoris in Spiritum S. *B. Varenius* in *Theol. Breu.* p. 189. *DEUM* in ipso damnationis instanti nolle hominis impii mortem vel damnationem, vid. *B. Ittigius* in *refutat. Disp.* de statu induratorum *Vittenb. 1701. §. 3. Contra Nouatianos veteres et recentiores, quos hodie Terministas appellamus.*

§. XXV.

Porism. V. *Animarum separatarum purgatoria siue carceres inter coelum et terram intermedii, sunt nil nisi chimaerae et pura pura rationis figmenta.* Dum enim sanguinem Christi omnia et singula fidelium peccata actu expurgare dicit Euangelista, nihil peccatorum in purgatoriis siue carceribus istis emundandum relinquit. Ad quid ergo ista? Unde *B. Ittigius* in *Disp.* de nouis Fanaticor. quorundam nostrae aetatis purgatoriis. *Lipsiae 1703. habita §. 20. p. 24. Denegant, scribit, consensum suum*